SERMO

super

OBLIGATIONE CHRISTIANO-CATHOLICORUM

ad

SOCIETATEM LEOPOLDINAM

scopo

PROPAGANDARUM MISSIONUM AMERICAE SEPTENTRIONALIS

in

IMPERIO AUSTRIACO

erectam accedendi

Occasione celebrati primi Consessus ejusdem societatis

in Palatio Archi-Episcopali Viennensi dictus

per

JOSEPHUM PLETZ,

Metropolitanae Ecclesiae Vindobonensis ad St. Stephanum Canonicum, Dogmaticae Professorem C. Reg. et Consistorii Archi-Episcopalis Consiliarium.

(Ex idiomate Germanico in Latinum versus.)

Viennae, 1829.

Prostat apud Directionem Centralem Societatis Missionum Americanarum in Aedibus PP. Dominicanorum.

Si vastum Historiae Ecclesiasticae campum vel properando percurrimus, non possumus non animadvertere divinam Christi Ecclesiam a primis suis incunabulis, ad nostra usque tempora sancto illo Regnum divinum latius latiusque propagandi, fideique christianae lumen ad ultimos usque mundi terminos perferendi studio animatam, insignitamque fuisse. Quae quidem contentio non minus est divini Salvatoris praecepto consentanea, quam et humanae rationis postulata internique hominum sensus explet desideria, ipsaque rerum omnium magistra, comprobatur experientia.

Atque ex hac ipsa sententia pace vestra mea proficiscetur oratio, dum hoc ipso tempore, quo Deo auspice in amplo Austriaco Imperio prima societatis, quae in dissitis Americae Regionibus propagandae Christi Doctrinae providere adnitetur, jaciuntur fundamenta, verba facere, brevique oratione comprehendere volo illud officium, cujus legibus catholicis sacris addicti obstringuntur, ut eo connitantur, quo omnes homines in sinum S. Matris Ecclesiae adducantur; exhinc enim fiet luculentum, ad officii nostri partes profecto spectare illud, ut exurgenti illi societati nomen dantes opellam, symbolamque nostram (tenuem licet) eo conferamus, quo Domini ac Salvatoris nostri JEsu Christi laus et gloria latius latiusque propagetur.

Ille ipse, qui est Alpha et Omega, principium et finis salutis ac fidei nostrae, qui venerat, ut maceriae pariete, qui populum Israel ab omni reliqua gente sejunxerat destructo, Gentiles ac Judaeos coagmentaret, ille ipse aeternus Dei filius, qui humanam induerat carnem, mortemque subierat, non ut unius civitatis accolas, aut unius gentis

uniusque orbis terrarum partis populos quaereret, sed ut omne quod perditum, perquireret, chyrographumque peccati, quod adversus nos erat; cruci affigendo, peccata omnium sangvine suo expiaret. — Ipse ille, antequam in sinum Patris reverteretur, Apostolis suis mandavit: *Ite in mundum universum, docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus S. et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judaea et in Samaria, et usque ultimum terrae.*

Ne tamen hujus tam ampli, lateque patentis muneris gravitas ac difficultas animos Apostolorum frangeret, promiserat eis, se missurum spiritum S. Paraclytum, qui eos virtute coelestis gratiae armabit, addetque vires et animos, ut non tantum ipsi nullis succumbant tormentis, sed et Ecclesia sua germinet, abundantioris fructus maturitate redundet, praesidioque suo, atque auxilio usque ad consummationem mundi munita, eam nanciscatur firmitatem, ut adversus eam nec portae inferi praevalere possint.

Quam igitur Dominus ac Salvator noster instituerat Ecclesiam, ea cum nec aliis quam terrae finibus terminetur, neque aliam temporis diuturnitatem, quam extremum seculorum diem norit; profecto ea non minus temporis, quam loci ratione habita est universalis omnique aevo, atque ubivis locorum divinam Jesu Christi Doctrinam conservare, hominesque meritorum Dominici sangvinis participes reddere debet, atque hanc ob causam eos, quos huic Ecclesiae Christus praefecerat, Apostolos, eosdem ipsos ut organa spiritus sancti, ut fidei divinae praecones, ut Sacerdotes novi foederis, ut Pastores animarum constituerat; — atque ad horum munerum procurationem non Apostolos tantum vocaverat, sed et eorum successores; neque enim munus Apostolicum ullo modo usquam exspirare potuerat, sed virescere florereque, atque ramos suos in universum mundum extendere ac diffundere debuerat, quo sub umbra ejus salutifera populi omnes ab ortu usque ad occasum, a meridie

ad septentrionem congregati, fructibus arboris vitae nutriantur, et aquis salientibus in vitam aeternam potentur.

Quando igitur Divinus Salvator jubebat Apostolos, ut annunciarent Evangelium in universo mundo, non illis duntaxat, sed et omnium temporum Ecclesiae, usque ad consummationem seculorum permansurae, dederat id negotii: Exi in mundum, baptisa omnes gentes, erige crucis Trophaeum, annuntia palam, non esse aliud, quam nomen meum sub Coelo datum hominibus, in quo oporteat omnes salvos fieri, praebeque mihi testimonium usque ad ultimum terrae: *quomodo enim invocabunt populi, in quem non crediderunt, aut quomodo credent ei, quem non audierunt, quomodo autem audient sine praedicante?* Quapropter et fidei praeconum pedes non aliam ob causam speciosi appellantur, nisi quod pacem evangelizent, illudque, quod unum bonum est, nempe divinum JEsu Christi nomen, annuntient.

Quae cum ita sint, quis quaeso in dubium vocabit, quod, dum Ecclesia nullo non tempore fidei praecones in omnibus mundi partibus opus facere Evangelistae, legationeque pro Christo defungi jubet, nonnisi divino JEsu Christi praecepto satisfaciat, sanctoque ejus animetur ac regatur spiritu, dum Regni divini fines inter omnes populos proferre acerrimo studio connititur? — Verum enimvero hoc studium propagandae Christi Doctrinae non tantum divini Salvatoris praecepto, sed illud quoque ipsius rationis, intimique hominum sensus edictis est consentaneum, atque ipsis anteactorum seculorum comprobatur monumentis. —

Qui enim animis nostris insitus, innatusque est nisus ad veritatem, virtutem ac felicitatem, ille ipse nos urget ac impellit, ut e tenebris emergendo ad lumen veritatis accedamus, dissipatoque omnis mali, peccatique imperio, veram solidamque felicitatem, nullis vitae humanae arctatam limitibus, in tuto collocemus. Quamobrem contentio haec consequendorum aeternorum animae nostrae bonorum, tam arcte cum intimae humanae naturae nostrae indole jungitur

vinculo, ut ea quidem terrenarum rerum cognitionis, temporalisque felicitatis cura ac solicitudine opprimi, et si singulos spectes mortales, obscurari valeat, nec tamen ea excindi extirparique possit, nec funditus tolli valeat, si universi humani generis rationem inieris; ipsa haec naturae nostrae indoles, qua ad veritatem, virtutem ac felicitatem trahimur, nos excitat atque inflammat, ut nec omnem votorum nostrorum metam nos assecutos censeamus, si ipsi veritatis cognitione beemur, nisi una nobis integrum sit, inventam veritatem in commune omnium bonum, proferendosque Regni moralis fines vertendi; neque propriam felicitatem nostram aliquo ponamus loco, nisi una aliorum quoque hominum beatitudini consultum esse nobis persvadeamus, eo contendit omnis, quisquis se recto rationis usu abdicare non vult; hac enim lege interna hominis natura regitur.

Atque nunc liceat jam mihi quaerere, ubinam veritas, via et vita inveniri poterit? Anne mortalium ullus eam veritatem, quae assequendi ultimi finis nostri rationem pandit, propria industria assecutus fuerat? aut potuerat ullus hominum monstrare, atque indicare eam viam, quae ad coelestes Beatorum sedes deducit? aut forte quispiam terrae accola, illius beatae atque in omne aevum duraturae vitae author est? Omnem anteactorum seculorum narrationis veritatem inficias eat oportet, qui id asseverare audeat. Omni quidem contentione verum invenire satagebant quam plurimi; sed quis diligentissimarum disquisitionum erat exitus alius, quam quod sagacissimi mortalium, fracto, aut poene abjecto animo cum Pilato quaerere debuerint: *Quid est veritas?* Presso quidem pede veteres persequebantur eam viam, qua in offensi Numinis gratiam redeundi tribuitur beneficium; sed conscia mens mali, atque inscrutabile arcanum ordinis mundi moralis eosdem oppresserat, nec sivit ille paries maceriae, qui peccatorem ab offenso numine arcet, obvenire iisdem aeternam illam spiritualem vitam, cujus tanta flagrabant cupidine. Sint enimvero non tenues illi progressus,

quos intellectus humanus in scrutanda, investigandaque terrenarum rerum conditione fecerat; nec fugiat ejus eciem espectabilis hujus mundi indoles etque natura; teneatque exploratum, qui, cuncta pensitando, provideque computando, temporelis beatitudo atque prosperitas valeat procurari, atque in tuto collocari: id unum tamen fidenter asseverare audeo, quod illud quod coeleste atque aeternum est, quodque unum hominem sanctum probum, et in omne aevum beetum reddit, illud inquem nulle humani ingenii contentione, atque studio detegi potuerit, illud tantum unus is revelavit, qui de sinu Patris descenderat, quique solus asseverare potuerat: *Ego sum via, veritas, et vita — nemo venit ad Patrem, nisi per me.*

Si igitur sola Christi Doctrina omnes vitae humanee obscuritetes et eenigmata dissolvit, sole viem salutis monstrat, sole parietem illum maceriae, qui peccatorem a divino numine arcet, destruit ac demolitur, sola unionem cum summo bono non tentum promittit, sed et potenter efficit, dissociatos animos jungit, in vita solatur, in morte reconciliet, spemque immortalis vitee praebet; sique charites, qua naturae humenee consortibus jungimur, ea nos flagrare facit cupidine, ut id unum in votis habeemus, quo omnes mortales ultimum suum finem assequantur, felicitatisque illius, quae veritate ec virtute nititur, reddantur perticipes: anne beatius, entiquius, meliusve studium atque negotium norit humana ratio, quem illud, dandi operam, ut omnes ad agnitionem selvificae Christi Doctrinae perveniant, divinumque Salvatoris nomen ed ultimos usque terrae fines proferetur?

Omnem ergo sancti verique sensum exueret, omnemque cheritatis fraternae scintillam in pectore suo extingueret, quisquis studium propegandae Christi Doctrinae non sanctioribus ednumereret officiis; imo ipsam meliorem neturae suae indolem convelleret, si nulla solicitudine atque cura tangeretur, an nempe divinae Christi Doctrinae termi-

ni proferantur, vel non. Tam arcte scilicet sancta Christi Religio cum vera hominis beatitudine jungitur atque nectitur. Quamobrem a se ipso dissideret, et quidem eo magis, quo plus ei ex parte una, ea, quae nostra imprimis memoria in illustrando intellectu, in explendarum apte ordinateque vitae necessitatum ratione procuranda, in promovendo commercio, in detegendis novis, novisque mediis, quae surrogari queant, in procurandis sexcentis, et quod ultra est, vitae terrenae prosperitates provehendi adminiculis impenduntur, studia probarentur, industriamque ejus acuerent, parte vero ex alia ipsius sanctioris illius, qua gloria Dei, et Salvatoris, salusque hominum promovetur, contentionis pretium diminueret, lividoque spectaret oculo. —

Absit equidem, ut nos rerum terrenarum scientiae cognitionisque pretium diminuamus, aut repudiandum censeamus, temporalem beatitudinem, terrenamque felicitatem promovendi studium; absit id inquam a nobis, nos enimvero ultro profitemur, omnes in artibus et scientiis progressus, imo vel ipsa provehendarum artium pericula, atque tentamina, justis laudibus gratoque pectore esse prosequenda; ab iis enim terrena nostra felicitas non parum dependet, ipseque mundi conditor haud alio consilio, nos hujus telluris, quae tam pulchra est, tamque multa provehendae culturae nostrae praebet adminicula, accolas fecerat, quam ut isthinc vires nostras exerceamus atque perficiamus: abs injuria tamen dicere audeo, nihil dari beatius meliusve arte illa artium, aeternam salutem consequendi, animam salvandi, ad Deum perveniendi, ad quem, ut cervus desiderat ad fontes aquarum, sic humanum cor contendit, nec invenit ullam requiem, donec in omnis veritatis, virtutis ac felicitatis fonte quiescat. — Huic arti nulla terrena felicitas praestat, nec ei quidquam surrogari potest, nec ea per ullam sensuum voluptatem supervacanea ullo unquam tempore reddi poterit.

Si proin verum est, quemadmodum verissimum, quod

Christus solus sit author omnis humanae salutis, sique sensus hominum internus nos continuo impellit, ut curam et solicitudinem promovendorum, quae humanum genus adtinent, bonorum adhibeamus: profecto non possumus non animadvertere, ab ipsa ratione, internoque nostro sensu nobis praecipi, ut in procuranda Doctrinae Christi propagatione toto incumbamus pectore, quo omnes ad veritatem, virtutem et felicitatem perveniant. Unde cum ad hoc ipsum Ecclesia catholica connitatur, studium ejus suapte sat superque vindicatum esse, quis inficiabitur?

Anne ergo adhuc necessarium erit, ut quod cum natura humana tam arcte junctum est, quod se interno suo pretio tantopere commendat, quove omnis, cujus nec mens, nec voluntas corrupta est, se obstrictum esse ultro profitetur, illud adhuc momentis ex experientia, rebusque gestis fulciatur, ejusque vindiciae agantur? Latissimus profecto aperiretur dicendi campus; initium enim ejus et finis omnem anteactorum seculorum aetatem comprehendit. — Flammeis est in rerum gestarum annalibus consignatum Litteris, quas admiratione dignissimas mutationes, quos incomprehensibiles effectus Christi religio ex eo ipso momento produxerat, ex quo palam coeptum est Christi nomen inter populos praedicari; annon enimvero omnis gentium docet Historia, quod vera cultura, germana virtus, illibataque felicitas non minus singulorum hominum, quam et omnium populorum, et rerum publicarum, tantum per crucis Religionem promoveri potuerit? Sola Christi Religio turpem, execrabilemque subvertit idololatriam, sangvine humano fumantia altaria solo aequavit, mulieribus jura naturalia reddidit, societates humanitatis vinculis coagmentavit, feroces tigrides in humani generis sospitatores transformavit, atque hunc in modum abs ullo apparatu, atque abs ullo humanae omnia pensitantis prudentiae adminiculo, abs ullis artificiosis praestigiis sine igne et gladio, sola simplici praedicatione crucis id perfecerat, quod Philosophorum mens vix

cogitare, mortaliumque vis nusquam molliri audebat, scilicet culturam totius humani generis suscipiendi, et perficiendi negotium. Profecto insignis rerum gestarum exitus comprobaverat illud Doctoris Gentium effatum: *Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus. Compagum quoque ac medullarum et discretor cogitationum et intentionum cordis.*

Evoluti jacent ante oculos nostros annales rerum gestarum, atque obversatur ante oculos nostros non tantum qui respublicae conditae fuerint, late floruerint, pulcherrimosque tulerint fructus; sed etiam qui eaedem flaccescebant, dilabebantur discordia, pleneque convellebantur, quemadmodum aut Christi Doctrinam summo habebant loco, aut eandem repudiare non verebantur: nec fugit obtutum nostrum illud, quod cultissimae gentes partesque orbis terrarum in tristem desciverint torporem, dum crucis trophaeum cum vexillo Pseudo-Prophetae commutarunt, lustramusque oculis novum terrarum orbem vix detectum, jam florescentem, atque ad rarum splendorem exurgentem, cum vix S. Dominici sodalitii alumnus Las Casas in Mexicana, Azevedo Vieyra in Brasilia, Cataldino et Maceta in Paraquaia sodales Divi Dominici, patriaque extorres Christiani in America septentrionali et ante omnia orbis novi Apostolus Anchieta Christi nomen in America annuntiassent, crucisque trophaeum erexissent. Ex tunc cymeriis tenebris opletae silvae extirpabantur, ars agrorum colendorum incrementa capiebat, populi moribus barbari in societates et respublicas coalescebant, atque hominum ad mansvetudinem et humanitatem traductorum conspectum tigrides et serpentes fugiebant, exurgebant giganteae urbes; verbo renovabatur illud angelos et homines gaudio perfundens spectaculum, quod Ducatus Brandenburgicus suo Remberto; Jüttlandi, Cymbri, Dani, Sveci suo Ansgaro; quod Frisinga suo Corbiniano; Germania omnis, immortalibus Colum-

bano et Kiliano, et ante omnes suo Magno Apostolo Bonifacio debuerat, scilicet spectaculum velocis illius culturae, quae solius christianae Religionis beneficio procurari potuerat.

Sed quid necesse est, ut dissitas a nobis terras lustremus? propius nobis adjacet, quod Provinciae omnes, quibus amplissimum Austriacum Imperium effloruerat, omnem suam culturam christianae Religioni acceptam referre debeant. Quis enimvero non grata prosequitur memoria Austriae Apostolum Divum Severinum, qui primas tenuit partes in Evangelii face ad clarissimam lucem in Patria nostra accendenda? quis non recolat memoriam eorum institutorum, quibus authore D. Leopoldo Austriae incolae magis humanos mores, mitiusque induerant ingenium? Nonne Salisburgensis ditio, Styria item ac Carinthia altissimis (si paucas divini luminis exceperis scintillas) superstitionum tenebris obsessae, sepultaeque jacebant tamdiu, quamdiu Rupertus antiquam non instauraverat Juvaviam, illicque sedem Episcopi stabilem non instituisset, Monasteriumque ad S. Petrum non condidisset, quamdiu non Virgilius fidei praecones miserat, ipsiusque divini verbi semen jaciendo, non omnem permeasset provinciam, eoque pertigisset, ubi Dravus Danubio miscetur? — Aut forte non primae Marcomannicae gentis culturae natales ex ea repetendi aetate, quando Cyrillus et Methodius Ratislaum, et Svatoplucum, aliosque gentis Proceres sacro abluerant fonte, eosque in arte legendi et scribendi instituerant, characterumque Slavicorum cognitionem aperuerant; qua propter eos quidem culturae gentis Marcomannicae authores parentesque fuisse jure dixeris! — Aut valebit quis abs ullo sensu motuque animi memoria repetere, qui gens Bohema abjecto simulacrorum cultu se sacris christianis addixerit? Annon enim vero haec conversio unius sacerdotis, quem in Ducum Marcomanniae Aula sacris undis tinctus Borzivoy in ditiones suas redeundo secum deduxerat, debetur industriae? idem enim primis Christianorum initiaverat my-

steriis Ludmillam, generosam illam foeminam, sub cujus disciplina Venceslaus ad vitae sanctimoniam efformabatur. Heu quam subito semen verbi Divini in proceram excreverat arborem, ut eam quidem nec maligna Drahomirae voluntas, nec cruenta ejusdem ulciscendi cupido excindere, evellereque potuerit! Aut forte non tenebat exploratum Litvaniae Magnus Dux Uladislaus populum sibi subditum tum tantum omnigena felicitate fore cumulandum, si idem se unius Christi cultui consecraverit? eccur ergo ipse sacris undis renatus omnem suam obibat provinciam, Evangelistaeque opus, in fidei praeconum, linguam gentis callentium penuria, faciebat? — Et quid enimvero dicemus de singulari illa Hungarorum ad sacra Christiana conversione? Quamdiu haec gens superstitionum caligine mersa jacebat, in armorum strepitu omnem vitae voluptatem quaerebat; sed ubi sancto Baptismatis rore ab Adalberto tinctus Proto-Rex Stephanus gentem hanc ad sacra christiana adduxerat, mitius ea induerat ingenium, et quae olim divini flagelli vices obire credebatur, fortissimi instar propugnaculi erat, dum ferox Mahomedana secta omnem Europaeum orbem absorbere minabatur. Omnis igitur aevi historia teste fit certum atque exploratum, quod cultura atque christiana Religio, crux et humanitas, indivulso nexu jungantur, atque ad invicem ut causa et effectus referantur, atque ideo vel ipsa terrestris beatitudo a divini Salvatoris Doctrina dependeat.

Si haec vera sunt, sique omnis cultura atque perfectio cum ipsa christiana Religione crescunt atque decrescunt, sique nostra cumprimis aetate cultura atque perfectio in omnium ore versatur, atque huc omne coaetaneorum studium intenditur, sique hinc causa illius laudis, quae Patrum nostrorum gloriam obscurat, adsciscitur, quotusquisque est, qui inficiari velit hoc quoque intuitu studio propagandi Christi Doctrinam, nihil esse optatius, illumque, qui proferendis Evangelii finibus impenditur laborem, universo humano generi praestari, atque hoc nomine jure exigi pos-

se. Et profecto, omne divinam Christi Doctrinam propagandi adminiculum eo gratius jucundiusque nobis esse debet, quo majori loco habemus sublimia culturae et perfectionis bona, quóve ardentius optamus, ut horum bonorum illi quoque participes fiant, qui eorum adusque poene adhuc expertes erant, qui vix necessitatum suarum calculum inire possunt, qui tenui admodum de sua destinatione cognitione pollent, qui in agris bestiarum more vagantur, qui explendorum nonnisi caecorum instinctuum gratia vitam traducunt, atque nonnisi in tonitrui fragore, atque in flamma inter nubes corruscante, divinum numen metu atque timore perculsi agnoscunt.

Quamobrem undelibet rem contemplemur, non possumus non animadvertere, quod studium propagandae Christi Doctrinae non tantum divino Christi praecepto sit consentaneum, quodque illud non tantum humanae rationis postulata, humanique interni sensus desideria expleat, sed etiam longo multoque seculorum usu comprobatum existat illud, studio hoc culturam perfectionemque humani generis egregie promoveri. Unde quis, quaeso, inficiabitur, quod spiritus bonus, spiritus divini Salvatoris, Ecclesiam, atque in ea Episcopos, Sacerdotes et Laicos animaverit tunc, dum illa tot fidei praecones in omnes mundi partes miserat, mittereque non desinit, quo Regnum filii Dei, Regnum veritatis, virtutis ac felicitatis, altrixque culturae atque perfectionis latius propagetur, fructusque ejusdem in omnes mundi gentes ac populos dimanent. — Est profecto nisus hic atque contentio luculentum testimonium, atque argumentum ejus rei, quam benigno animo quantaque solicitudine materna catholica Ecclesia non suo tantum sinu et gremio contentos, sed omne genus humanum complectatur; neque enim suis tantum panem vitae aeternae frangit, nec suis tantum fontem continuo manantis gratiae divinae aperit, sed et benignas suas ulnas extendit etiam ad illos, qui in tenebris et

in umbra mortis sedent, quo hi quoque promissorum a divino Salvatore bonorum participes reddantur.

Heu quale quantumque est illud, quod hoc obtutu Ecclesiae catholicae acceptum refert genus humanum! Atqui huic ipsi sancto Christi Doctrinam propagandi studio Missionum Institutum suam debet originem; hoc spiritu nati conditique sunt non pauci Ordines Religiosi, quorum si non unum, praecipuum tamen negotium est Doctrinam Christianam propagandi falsorumque numinum cultores convertendi. Hoc sancto studio incensi Summi Pontifices Gregorius XV, et Urbanus VIII. condidere illud nulla memoria obliterandum Institutum, Propagandae, ex quo inde a seculo XVII. tot fidei praecones prodiere, qui ad obeundas mandati muneris partes exculti, librorumque religiosorum, in triginta lingvis a sermone Europaeo alienis procusorum, supellectili instructi, in omnibus mundi partibus sementem divini verbi jaciunt, atque succrescentis segetis maturitatem procurare adnituntur. Hoc spiritu animati magni illi Purpurati Patres Cornara, Galamina, Caponi, Justiniani, Ubaldini aliique maximam facultatum suarum partem promovendo Propagandae Instituto devoverunt; hic sanctus ardor impellebat immortalem Cardinalem Onuphrium, ut e peculio suo duodecim loca in Propaganda pro Persis, Iberiis, Jacobitis, Melchitis, Coptis, et Armenis institueret; — hic spiritus regebat gressus Discalceati Carmelitae P. Dominici a Jesu Maria, dum ostiatim 22,600 Thaleros magna industria conquisierat promovendarum Missionum gratia. Huic studio suam debent originem atque institutionem Seminarium exterarum Missionum in Gallia, Congregatio de S. Sacramento ibidem nec non Romano aere conditum Missionum Collegium Dilligense, multaque alia fidei propagandae Instituta.

Et quis, quaeso — poterit oratione sua exequi illud, quod pia haec Instituta, Religiosique Ordines humano generi praestiterant? quis, quaeso, inibit numerum eorum, quos fidei praecones retulerant, fructuum! Vel summa lineamenta aegre

potest humana oratio ducere, scripta tamen sunt haec in libro vitae — Annon enimvero certum exploratumque est, quod S. Franciscus Xaverius, quem Urbanus VIII. ipse Indiarum Apostolum apellaverat, uno vertente mense Travancorae 10,000 Christo adjunxerit? Aut quem latet, quod Ecclesia Japonica, quam Sancti hujus industria plantaverat, jam anno 1582 in 200,000 fidelibus, 250 Ecclesiis, tribus Seminariis effloruerit? annon Jesuitarum Baldini, Marquenzii, Alexandri de Rodez labor duodecim annorum curriculo, ad christiani coetus communionem 82000 Tunkinonsium agregaverat? Annon christiana Respublica Paraquai ex dispersis Indorum gregibus collectos, et in operosas reductiones distributos 280,000 Sacris Christianis addictos intra annum 1610—1730 numeraverat? Excedunt omnem numerum saluberrimi illi effectus, quos in humano genere perficiendo, beandoque catholicae Ecclesiae Instituta procurarunt. Nulla par est oratio recensendis illis sudoribus ac laboribus, quibus magnanimi praecones fidei conficiebantur, illa pericula, quibus caput suum objiciebant, omnibus vitae commoditatibus renuntiabant, patiebanturque vel maxime necessariorum inopiam, non habentes, ubi caput reclinarent, promti alacresque esse debuerant ad subeunda quovis momento tormenta, ad vitam, sangvinemque fundendum. Nec tamen tam grave detrectarunt munus, imo vero in virtute divina menteque hilari praedicabant verbum Dei, nec ulla alia eos consolatio sustentabat, quam illa, repositam esse apud Deum, fidelibus in vinea Domini operariis, mercedem.

Profecto is, cujus est animus cultus, quemque vera humani generis bona sollicitum tenent, is inquam nec cogitatu quid augustius sublimiusque norit, nec potentius, quid intimas animi ejus fibras tangit et movet, quam si cogitatione sua fidei praecones dissitas Regiones petentes prosequatur, animoque suo contempletur, qui illi velut mansveti pastores inter ferocum hominum greges vocem efferant, quomodo silvestrium illorum hominum animi sen-

sim sensimque emolliantur, qui spiritus ille malus, qui eorum mentes obsessas tenebat, primum obsistat, dein excedere cògitur, qui gratia divina vincat, qui neophyti illi coram crucis trophaeo de genu procumbant, divinumque Salvatorem, cujus cognitione tamdiu carebant, adorant. Dum haec menti obversantur, profecto tunc sacellum e simplicibus virgultis paratum in augustum templum, truncus in aureum altare, unisonus cantus in concentum transformantur; ex illorum enim piis pectoribus erumpit hic cantus, qui nunc primum sentiunt, menteque comprehendunt, quae, qualis, quantaque sit beatitudo hominem esse, atque preces ad Deum, Patrem, Salvatorem atque Sanctificatorem fundere posse *)

Atque inter has contemplationes, cujus non uritur pectus? quis est, qui non in has erumpat voces: O utinam et mihi integrum esset, ut me socium ejus operis adjungere possem, quo in usum, beatitudinemque humani generis divina Christi Religio promovetur!

Eheu Fratres in Christo charissimi! nondum adhuc omnia confecta absolutaque sunt, multa adhuc supersunt perficienda. Heu ducenti tantum adhuc milliones divinum Christi nomen profitentur, sed nec hi omnes eum in modum ut ipsus postulat, non omnes scilicet Ecclesiae suae, quam pretioso sangvine suo redemerat, agregati sunt. Octingenti adhuc Milliones aut inanium Deorum simulacra cultu venerantur, aut sub signis Pseudo-Prophetae militant, aut non-

*) Qui Sanctorum conatuum, quos Missionarii ponunt in conversione infidelium specimen videre cupit, is conferat: Pater Florian Paukes, Reise in die Missionen von Paraguay und Geschichte der Missionen St. Xaver, und St. Peter. Aus der Handschrift Paukes, herausgegeben von P. Johann Frast, Cistersienser des Stiftes Zwettel und Pfarrer zu Edelbach. Wien 1829, bey Anton Edlen v. Schmid. — Opus cujus lectio instruit et oblectat. Optandum ut plures hujus generis nanciscamur libros.

dum remotum est velum Legis veteris ab oculis eorum. Quale ergo quantumque est illud, quod adhuc perficiendum superest?

Quamquam vero jam eorum, quae praestanda supersunt, magnitudo non levem paret solicitudinem, quantum tamen eam augeri necesse est, si ad animum revocemus, quam parum secunda fuerit Missionibus exteris proxime praeterlapsa aetas. Cupido rerum terrenarum principem locum sibi vindicando sensum rerum divinarum represserat atque obscuraverat, exitialibus bellis illae potissimum vastabantur Provinciae, quae Evangelicae lucis radiis dissitas orbis terrarum partes collustrabant, cura propriorum commodorum sinebat e mente effluere eorum consodalium, qui in dissitis silvis ac nemoribus desudarunt, memoriam. Instituta Propagandae Christi Doctrinae dicata pulcherrimis jam fructibus inclyta, et laetiores adhuc spondentia vix magni nominis umbram retinuerant; omnis vero eorum vis atque efficacitas fuerat concussa atque labefactata. Atque in hoc rerum articulo an non potuit non esse tristis lugubrisque Missionum Extra-Europaearum conditio? Non paucae recentiori aetate propter operariorum atque necessariorum subsidiorum inopiam penitus extinctae, aliarum vero conditio est tam tenuis atque imbecillis, ut pauci illi, qui iisdem praesunt Missionibus sacerdotes, vix semel per annum per summam animi contentionem neophytos invisere, eos divini verbi pabulo satiare, divinorumque mysteriorum participes reddere; unde coeptum opus aegre admodum sustentari potest; de illo vero dilatando atque propagando vix consilia agitari valent. Excedit vires ac facultates, ut templa, scholae, collegiaque, in quibus fidei praecones patria tellure nati efformentur, condantur, ut per continuatam institutionem verbum Dei alte mentibus imprimatur, ut stabiles fidei praecones constituantur, ut cultus divinus ea dignitate celebretur, quae Sanctae Sanctorum Majestati convenit, quae cor hominis movet, continuaeque institutionis vices subit,

atque divina mysteria nec e mente, nec e pectore effluere sinit. Quamobrem jure possunt exterae regiones cum Jeremia in haec lamenta prorumpere: *adhaesit lingua lactentis ad palatum ejus in siti, parvuli petierunt panem, et non fuit, qui frangeret eis.*

Ad eum igitur, qui superest maximum laborem accedit quoque tristis Missionum conditio. Ubique magna cupido scientiae salutis, *sed quae raro expletur;* vix ferri potest desiderium fidei praeconum, sed heu quam rarus est eorum adventus! Subit persaepe mentem memoria pullatorum illorum magni spiritus ablegatorum, quemadmodum Indi Missionarios appellant. Quali gaudio atque laetitia implentur omnium pectora, si tutelarium horum geniorum unus compareat, sed heu quis moeror atque acerbitas dum eum mox alio procuratio muneris vocat! atque haec, quae diximus, exhibent potissimum Missionum in America institutarum conditionem; in hac nempe juvenili vigore plena, omnisque boni capace orbis terrarum parte, ubi nec alte infixa praejudicia, nec canae vetustatis Respublicae atque Religiones, nec hominum in certos coetus ferrea coagmentatio vires humanas labefactat, ut id in Asia potissimum obtinuerat, semenque atque causam continebat illarum cruentarum persecutionum, quae tot tantosque mortis supplicium fidei causa subire coëgerant.

Si vero heec est Missionum in America conditio, quis quaeso inficiabitur necessarium esse, ut illis opitulemur, auxiliumque praestemus? Ipsa illa laicos non minus, quam sacerdotes stringens Doctrinae christianae propagationem omni virium contentione promovendi obligatio, cui quidem temporum iniquitas repagula ponere, sed quam nusquam extinguere potuerat, ipsa inquam haec obligatio non minus quam et ipse Dominus ec Salvator noster, nec non ipsum genus humanum id a nobis exigunt. Quamobrem laetissimis profecto temporis nostri eventibus adnumerabimus, quod ea, qua superior aetas Missionum intuitu gravatur,

culpa fuerit multis modis emendata. Sint benignae divinae providentiae grates! Sanctae memoriae Pontifices Pius VII. et Leo XII. omne adhibuerant studium, ut sedata tempestate salvaretur quod adhuc servari potuerat. Jam Propagandae Institutum novos mittit in varias orbis tarrarum partes fidei praecones. Vix in Gallia Regia dignitas instaurata cum continuo Institutum pro Missionibus exteris refloruerat, nec ante multos dies in publicis legimus pagellis, quod quatuor Sinenses Juvenes in illud cooptati fuerint, quodque defluxu Mensis Aprilis trini Missionarii, huic Instituto adscripti se itineri dederint, verbi divini in Sinensium Imperio, in Cochinea et Tonkingi praedicandi gratia. Lugduni, in urbe hac vetustate sedis Episcopalis inclyta, ante unum lustrum coaluerat sodalitas, quae symbolam hebdomadalem conferendo Missionibus in Asia et America opitulari adnititur. Jam et in Germania fidei christianae ardor efflorescit, atque libere et aperte annuntiat obligationem, piis subsidiis propagationem Doctrinae christianae promovendi — Tibi ergo infinita sapientia et charitas sint grates sempiternae! Jam inflammatur illud fidei christianae studium, quo Majores nostri animabantur, jam efflorescit amor crucis, quam multi tam ingrato animo reliquerunt — Inter jucunda temporis signa profecto jucundissimum! Neque tamen quis existimet, quod ea, quae ad promovendas Missiones praestita sunt, modum omnem excedant, praecipue si ea aequiparentur illis, quae a sacris catholicis alieni adjuvandarum Missionum gratia praestitere — Diuturno quidem tempore acerbe hoc propagandae christianae Religionis studium illi increpabant atque reprehendebant, sed aevo recentiori, meliora edocti, mittendo fidei praecones pro eorum modulo pecuniariaque subsidia suppeditando praestitere, praestantque id, quod fidem superare videtur *).

*) Confer pagellas Monacenses *Eos* de anno 1828, Nro. 148 et 149, ubi numerus initur horum conatuum.

Sed quocunque demum modo haec comparata sunt, id unum certum est atque exploratum, quod omne illud, quod bonum, pulchrum augustumque est, non possit non in amplo Imperio Austriaco florere. Annon ergo nos haec spes sustentabit, quod cives tam potentis Imperii, obligationi, qua stringimur ad propagandum divinum| Salvatoris nomen responsuri, nomen magno numero daturi sint illi societati, quae ad hanc propagationem promovendam connititur, quaeque praebet modum ac opportunitatem maximum benevolentiae officium etiam dissitis mortalibus exhibendi atque opitulandi, ut illi ad agnitionem divini numinis perveniant; mores mentesque suas excolant, mitiusque induant ingenium. — Enimvero quomodo commovebantur pectora nostra, dum Fridericus Rese Cincinnatensis in America Vicarius generalis, Alumnus celebris Propagandae, Instituti simplici, atque infucata oratione nobis adumbraverat statum ac conditionem Episcopatuum Americanorum novissimi Cincinnatensis! non potuimus sine magna animi commotione aures praebere ei narranti, qui illic agri albi sint ad messem, qui illic cupido boni melioris omnium mentes teneat occupatas, quos celeres laetosque progressus illic divina Religio facere valeat, qui tenuia licet praesto sint adminicula tamen inde ab 1823 sint 40,000 mortalium Christi Ecclesiae aggregata. — Ast moeror tristitiaque animos nostros occupaverat, cum ex ejusdem narratione intelleximus, quod 40,000 illi Catholici sparsim sedes teneant in tali terrae tractu, qui si amplitudinem spectes, Galliae terminos longe excedit, quod illic nonnisi 16 Sacerdotes divino ministerio defungantur, quod etiam octoaginta milliaria conficere debeant Presbyteri, quo animam agentibus praesto esse, eos Deo reconciliare, atque in extremo vitae certamine illis succurrere valeant. — Triste quoque erat intelligere illud, quantis discriminibus atque periculis desciscendi a fide sint neophyti illic expositi, quia et illic, praecipue in urbibus, virus incredulitatis et perversitatis serpit, facilique opera

efficere potest, ut triticum zizanio permisceatur, atque ab eodem opprimatur, Unde quis negabit tristem nobis exhiberi rerum futurarum imaginem, cum enim recens planta cumprimis industriam, atque curam olitoris deposcat, illic et manus adjutrices desiderantur, et qui adsunt operarii tantam etiam maxime necessariorum penuriam patiuntur, ut jure dicere possint, se non habere ubi fessum caput reclinent *).

Vel simplex haec veraque Missionum Americanarum conditionis adumbratio erat necessaria, et Deus, qui corda hominum, ut torrentes aquarum dirigit, divini luminis radium miserat, et sodalitas Missionum Americanarum stabiliendarum fovendarumque gratia coaluerat, quam societatem augustissimus altissimo suo annutu ratihabuerat, atque summus Ecclesiae catholicae Pontifex coelestibus Ecclesiae thesauris ditaverat, atque hunc in modum Reipublicae praesidio tutata, Ecclesiastica authoritate sanctificata viret haec societas, speratque se civium ampli hujus Imperii subsidiis succollatam fructus laturam eo ampliores, quo magis exploratum est, quod maxima Imperii Austriaci civium pars non suum genu flexerit coram idolo perversae, spuriaeque illuminationis, sed divino Salvatori ejusque Ecclesiae semper fideliter adhaeserit. Charitas tantum societatis hujus jecerat fundamenta, charitas tantum hodierna die **) societati huic vitam tribuit, charitas dabit ei incrementa, facietque, ut fructus plurimos afferat. Pure religiosis nititur ea placitis, Religio sola ejus continet momenta, eleemosyna et oratio sunt ejus media, eleemosyna vero cum charitate data sua non frustrabitur mercede apud eum, qui et potum aquae frigidae remunerabitur, nec preces consequendorum verorum animae bonorum gratia incassum coram throno

*) Cfr. Beschreibung des Bisthums Cincinnati, herausgegeben von Friedrich Rese. Wien 1828.

**) Die 13. Maji sub Praesidio Celsissimi Domini Principis Archiepiscopi Vindobonensis.

Patris funduntur, eo quod filius ipse nos docuerit orare: *Adveniat Regnum tuum.*

Maxime igitur opportunam proximamque nacti sumus occasionem, ut nostrae divinae Christi Doctrinae propagationem promovendi obligationi satisfacere valeamus; nam licet nos ipsi iter non adornemus Evangelii praedicandi gratia; explere tamen possumus Christi mandatum, explere postulatum rationis, quod nos jubet promovendi Regnum veritatis, virtutis et felicitatis; valemusque explere intimi animi nostri desiderium illud, ut cultura et perfectio in remotissimas etiam gentes dimanet. Valemus imitatione explere illa zeli Apostolici insignia exemplaria, quae omni tempore in Ecclesia catholica coruscabant, atque nomen humani generis benefactorum jure emerebimur. Erit quoque apud Deum Patrem merces nostra reposita; nam in extremo seculorum die illi, qui nostrae eleemosynae et orationis adminiculo illustrati in spiritu sancto renati, et salutem consecuti sunt, causam agent nostram atque clementiam Judicis divini deprecabuntur.

Vestro igitur Fratres in Christo charissimi praesidio, opitulandique studio abs ulla solicitudine omnem suam culturam ad veritatem, virtutem ac felicitatem credunt dispersi Indianorum greges Americam septentrionalem incolentes, cumprimis illi, qui in silvis Ohio et Michigan degunt, nondumqne Christum aut saltem obscure tantum agnoscunt. O detis nomen Societati Leopoldinae! certumque tenete illud, quod gratitudinis intimae sensu novellae illius Ecclesiae filii vestra sint beneficia prosecuturi. Americanae Ecclesiae nomine ago apud vos intercessorem, estote vos ejus adjutores, atque promotores.

Sub divini igitur nominis Jesu auspiciis operi tam sancto ihitium dare volumus, nihil haesitantes, quod Dei Filius, cujus imperio rete Apostolorum diu vacuum missum in mare tantam concluserat piscium multitudinem, ut iilud rumperetur, ipse illo non sinet sine fructu laborare a tam

tenuibus initiis exordia capientem hanc societatem. Profecto sperare possumus, quod is civium hujus Imperii animos, huic societati reddet addictos, ipseque sanctos nostros praesules sic moderabitur, ut illi ea omnia ordinent, ac disponant, quae scopo congrua sunt, ille centralem directionem hujus societatis illuminabit, ut cognoscat, quid utile sit ac opportunum; ille semen tritici faciet florere, illudque ad maturitatem adducet, ut centuplum fructum ferat; ille preces nostras exaudiet, et aptos operarios in vineam Americae mittet; ille corda hominum Doctrinae suae lumine collustrabit, gratia sua renovabit, charitate sua confortabit, et communioni sanctorum suorum aggregabit, facietque, ut ipse intimus animi sensus nobis testimonium reddat, nos quoque quidquam contulisse, ut eventu compleatur divinae sapientiae effatum illud: *Erit unum ovile, et unus Pastor.*

Statuta

erecti,

ad sublevandas

Catholicas in America Missiones,

Instituti sub Nomine:

Fundationis Leopoldinae.

1. Ad *scopum* erecti sub Nomine *Fundationis Leopoldinae* Instituti referuntur: a) Maior activitas Missionum Catholicarum in America promovenda; b) participatio ac aedificatio Fidelium intuitu Ecclesiae Jesu Christi in remotis mundi oris propagandae; c) perdurans Suae Maiestatis defunctae Brasiliae Imperatricis Leopoldinae, natae Austriae Archi-Ducissae, recordatio.

2. Ad fines praedictos assequendos delecta *media* sunt: *Oratio*, et *eleemosyna*. Adplicatio horum mediorum sequentibus regulis absolvitur:

3. Quisque religiosi huius ac privati Intituti particeps, obligationem suscipit, quotidie unum Pater et Ave, cum additamento: »*Sancte Leopolde! ora pro nobis*« orandi, tum singulis hebdomadibus unum crucigerum m. c. dependendi; atque adeo hoc exiguo orationis et eleemosynae sacrificio, ad grande illud verae Fidei promovendae opus concurrendi. Quemadmodum autem societati huic adscribi, liberum cuique, ita egredi ex eadem arbitrio cuiusvis integrum relinquitur.

4. Singula quaeque decem ac decem membra utriusque sexus, in unum collectorem, ad recipiendas hebdomadales

eleemosynas, consentiunt. Collector quivis curam habet, ut numerus parvi coetus sui decem individuorum, post unius vel alterius decessum, sive morte, sive egressu evenerit, compleatur; collecta vero eleemosyna Domino Parocho Districtus eiusdem, ad phyleram solutionum, cuius norma hic adnectitur; summam pecuniae nomenque suum inscribendo, resignetur.

5. Quilibet Dominus Parochus modo praemisso perceptas eleemosynas concernenti Domino Decano (Vice Archi-Diacono); hic vero Reverendissimo Ordinariatui suo, pro opportunitate, ad summum tamen quovis trimestri resignabit.

6. Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Caesareo Regiarum Ditionum Episcopi, de existentia Fundationis Leopoldinae, et de impetrata Altissima Adprobatione, a Directione Centrali, Viennae constituta, edocti, et fine publicandi, sustentandi, ac efficaciter dirigendi salutaris huius operis medio Circularium requisiti, offerendas omnis generis Missionis eleemosynas, successivis temporibus, ad Centralem religiosi huius Instituti Directionem promovere velint; quae vicissim eo sollicitudinem suam convertet, ut per continuandam cum iisdem correspondentiam, certumque quot annis numerum Exemplarium, de acceptis typisque editis Missionum Relationibus, Rationum vero, super perceptis Missionum eleemosynis, earundemque erogatione, Extractibus, submittendum, universa Instituti membra, de fructibus pii zeli sui, continuo informentur.

7. Quoniam Institutum isthoc in universis quidem Ditionibus, miti devotissimi Imperatoris Nostri Sceptro subiectis, propagandum, nihilominus tamen ad has duntaxat re-

strigendum essat: Directio Centralis pro lege decernit, illud ab omni extraneo huius generis Instituto distinctum conservare, nec ullam cum iisdem connexionem inire.

8. Universi Ordinariatus Episcopales in sequelam Altissimae Voluntatis inviabuntur, ad subsidia, per decursum anni, pro Americanis Missionibus collecta, concernenti Dicasterio Regni, anno concluso indicanda; prout Directio quoque Centralis Viennae totalis summae deductionem concernenti Dicasterio Aulico substernet.

9. Directio Centralis Viennae, cuius membra Suae Majestati Sacratissimae nominetenus humillime indicata Altissimam Adprobationem meruerunt, quaeve pium hoc opus in effectum perducendum adgrediuntur, porro ad normam praesentiam Statutorum, sine ulla remuneratione, pro Gloria Dei, et verae Fidei Jesu Christi dilatatione, administrandum, submissas a Reverendissimis Ordinariatibus Missionis eleemosynas, in cista sera triplici munita conservabit, ita ut claves tribus commembris concredantur.

10. Directio Centralis perceptas Missionis eleemosynas, in maxime urgentes Missionum Americanarum necessitates, prout illi ex authenticis relationibus, et sollicite institutis investigationibus, innotuerint, praevio communi consilio inito, impendet, et pecunias, vel alia utilia mobilia, minime sumptuoso modo promovebit.

11. Directio Centralis negotia omnia, quae cum ex natura operis pii, tum e voto communi, finem propositum certius consequendi, oriuntur, sub directione unius suorum commembrorum, amice transacta, et proprietatibus, officiis ceteris, atque occupationibus cuiusque adcommodata distributione, administrat. Negotia huiusmodi, in quantum nunc

iam providere licet, sequentia sunt: Rationes Cassae Centralis ducendae, cum necessario Contra-Agentis Officio; Revisio Rationum super pecuniis sub directione Ordinariatuum Episcopalium collectis et transmissis; activa et passiva correspondentia cum universis Ordinariatibus germanico, latino, et italico idiomate; correspondentia cum individuis in ditionibus Americae proximius exquirendis, quae maxima parte gallica, aut anglica linqua ducenda erit; Versio relationum Missionis, vel aliorum Exhibitorum e linguis extraneis in germanicam, et Redactio hinc variis linguis typis edendorum, et commembris, pro eorum aedificatione, consolatione, ac incitamento, communicandorum Extractuum; scriptorum typis procudendorum cura, correctura, et transmissio; conservatio denique, coordinatio, et regestratio, partim exhibitorum, partim in conceptu asservandorum officiosorum, vel aliorum scriptorum.

12. Etsi negotia haec maxima ex parte eius sint generis, ut aut ab individuis, quibus concredita sunt, cum scitu Directionis, pertractari, aut medio Actorum inter reliqua commembra circulandorum, opportune in deliberationem adsummi queant; tamen regulae adinstar statuendum est, ut universa Directionis Centralis membra, quovis trimestri, et alias, quando emergentes circumstantiae id postulabunt, in communi consessu congregentur.

13. E respectu, Fundationem Leopoldinam esse religiosum privatum Institutum, Directio Centralis Viennae Festum Immaculatae Conceptionis B. M. V. universalis quorumvis coetuum ecclesiasticorum Patronae, tanquam Fundationis Festum; Festum vero S. Leopoldi Marchionis, Nominis scilicet denatae Imperatricis Leopoldinae, et huius pii

Instituti electi peculiaris Patroni, solemniter celebrabit; sed etiam quot annis die 11. Decembris, velut anniversaria die obitus Brasiliae Imperatricis, Leopoldinae, pro eius, et omnium defunctorum Fundationis, eius nomine adpellatae, Benefactorum requie animarum, solemnem missam pro Defunctis absolvendam curabit, invitatis omnibus commembris, ut pias preces suas cum precibus Directionis coniungant.

14. Indulgentiae a Sanctissimo Domino Papa Leone XII. felicis recordationis, ad spiritualem consolationem eorum, qui salutaris huius operis participes sunt, adeo prompte concessae, obtento Suae Maiestatis Sacratissimae Domini Nostri Clementissimi annutu, via competente publicabantur.

15. Serenissimus ac Eminentissimus Archi-Dux Rudolphus Cardinalis Archi-Episcopus Olomucensis supremam Curatelam Fundationis Leopoldinae benigne suscipere, et Celsissimum ac Reverendissimum Dominum Principem Archi-Episcopum Viennensem Locumtenentem suum denominare dignabatur. Itaque in alta utriusque Persona suprema Curatela Fundationis Leopoldinae concentratur. —

Viennae die 12. Maii 1829.

[illegible]

[illegible] salutis [illegible]

[illegible] necessa [illegible]

[illegible]

Nr.

Folium, quo inscribuntur eleemosynae pro Missionibus in Parochia Dioec.

I. Eleemosynae ordinariae.

Nr.	Nomen Collectoris	Numerus adscriptorum	Tempus, quo facta est collectio	Dies Solutionis	Summa in M. C.		Adnotationes
					fl.	kr.	

II. Dona extraordinaria.

Nomen Benefactoris	Dies Solutionis	Summa in W.W.		Summa in M. C.		Summa in Obl.pbl.		Adnotationes
		fl.	kr.	fl.	kr.	fl.	kr.	

[illegible]

Regulae

Instituti,

ad sublevandas

Catholicas in America Missiones,

per

Universas Caesareae Domus Austriacae Ditiones,

sub Nomine

Fundationis Leopoldinae,

erecti.

Viennae.
Typis Congregationis Mechitaristicae.
1829.

1. Ad *scopum* erecti sub Nomine *Fundationis Leopoldinae* Instituti referuntur: a) Maior activitas Missionum Catholicarum in America promovenda; b) participatio ac aedificatio Fidelium intuitu Ecclesiae Jesu Christi in remotis mundi oris propagandae; c) perdurans Suae Maiestatis defunctae Brasiliae Imperatricis Leopoldinae, natae Austriae Archi-Ducissae, recordatio.

2. *Media*, ad praedictos fines consequendos delecta, *Oratio* sunt et *Eleemosyna*.

3. Quisque religiosi huius ac privati Instituti particeps obligationem suscipit, quotidie unum Pater et Ave, cum additamento: »*Sancte Leopolde! ora pro nobis*« orandi, tum singulis hebdomadibus unum crucigerum m. c. dependendi; atque adeo hoc exiguo orationis et eleemosynae sacrificio, ad grande illud verae Fidei promovendae opus, concurrendi. Quemadmodum autem societati huic adscribi liberum cuique, ita egredi ex eodem arbitrio cuiusvis integrum relinquitur.

4. Singula quaeque decem ac decem membra in unum, sub hoc numero comprehensum, Collectorem, ad recipiendas hebdomadales eleemosynas, consentiunt. Collector quivis curam habet, ut exiguus coetus sui numerus, post unius vel alterius recessum, sive morte, sive egressu evenerit,

compleatur; collecta vero eleemosyna menstrue Domino Parocho Districtus eiusdem, ad phyleram solutionum, cuius norma hic adnectitur, summam pecuniae nomenque suum inscribendo, resignetur.

5. Quilibet Dominus Parochus modo praemisso perceptas eleemosynas concernenti Domino Decano (in Hungaria Vice-Archi-Diacono); hic vero Reverendissimo Ordinariatui suo, pro opportunitate, ad summum tamen quovis trimestri resignabit.

6. Si quis maiorem summam in hunc finem pium, eamque ad semel deponendam destinat, eiusmodi subsidia, aut Domino Parocho, cum propria inscriptione, ad destinatam Rubricam attactae superius phylerae solutionum, inserenda, aut Domino Decano (vel Vice-Archi-Diacono) aut immediate Reverendissimo Ordinariatui resignari possunt.

7. Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Episcopi omnium Caesareo Regiarum Ditionum competenter requiruntur, ut hoc modo obtingentes omnis generis Missionis eleemosynas, ad Centralem religiosi huius Instituti Directionem, Viennae existentem, adclusa superius §. 4 praescripta phylera Solutionum successivis temporibus promovere velint.

8. Directio Centralis Viennae, quemadmodum grato sibi muneri ducit, hoc opus pium, sub Altissima Suae Maiestatis Sacratissimae Protectione, et in nexu cum Friderico Rese, nunc Vicario Generali Episcopi Cincinnatensis in America Septemtrionali, in effectum deducere, ac porro, ad Dei Gloriam, et veram Jesu Christi Fidem promovendam, efficacissimo modo administrare; ita omnis generis medio Reverendissimorum Ordinariatuum, vel alias imme-

diate acceptas Missionis eleemosynas, in maxime urgentes Missionum Americanarum necessitates, prout illi ex authenticis relationibus, et sollicite institutis investigationibus, innotuerint, praevio communi consilio inito, conscientiose impendet, ac modo minime sumptuoso promovebit.

9. Directio Centralis eo sollicitudinem suam convertet, ut universa societatis membra, ad spiritualem eorum consolationem piique zeli remunerationem, de progressu ac fructibus munificentiae, uti et de statu Religionis Catholicae in America, pro ratione acceptarum relationum, continuo informentur.

10. E respectu, Fundationem Leopoldinam esse religiosum privatum Institutum, Directio Centralis Viennae Festum Immaculatae Conceptionis B. M. V. universalis quorumvis coetuum ecclesiasticorum Patronae, tanquam Fundationis Festum; Festum vero S. Leopoldi Marchionis, Nominis scilicet denatae Imperatricis Leopoldinae, et huius pii Instituti electi peculiaris Patroni, solemniter celebrabit; sed etiam quot annis die 11. Decembris, velut anniversaria die obitus Brasiliae Imperatricis Leopoldinae, pro eius, et omnium defunctorum Instituti, eius nomine adpellati, Promotorum, atque Benefactorum requie animarum, solemnem missam pro Defunctis absolvendam curabit, invitatis omnibus commembris, ut pias preces suas cum precibus Directionis coniungant.

11. Sua Sanctitas Papa Leo XII. undecim diebus ante piissimum obitum suum, declarata, quoad Apostolicum istud opus, complacentia sua, magno omnibus bonis Christianis incitamento deserviente, distincto Brevi edito, membris Instituti, sub nomine Fundationis Leopoldinae adprobati, lar-

gas indulgentias concessit, quarum publicatio a Sua Majestate, sub d. 14. Aprilis a. c. clementer admissa, a Reverendissimis Ordinariatibus simul instituitur, scilicet die, quo societatem ingrediuntur, porro die 8. Decembris, item die, quo agitur S. Leopoldi festum, et semel per mensem, quodsi per mensem superiorem quotidie unum Pater et Ave atque verba: »*Sancte Leopolde! ora pro nobis*« dixerint, indulgentiam plenariam sub conditione, si post sinceram confessionem SS. Eucharistiae Sacramentum receperint, et in aliqua publica Ecclesia pro unitate principum Christianorum, haeresum exstirpatione atque Sanctae Matris Ecclesiae incremento pias ad Deum preces fuderint.

12. Serenissimus ac Eminentissimus Archi-Dux Rudolphus Cardinalis, Archi-Episcopus Olomucensis, supremam Curatelam Fundationis Leopoldinae benigne suscipere, et Celsissimum ac Reverendissimum Dominum Principem Archi-Episcopum Viennensem Locumtenentem suum denominare dignabatur.

Viennae die 13. Maii 1829.

Nr.

Folium, quo inscribuntur eleemosynae pro Missionibus in Parochia Dioec.

I. Eleemosynae ordinariae.

Nr.	Nomen Collectoris	Nurus adscriptorum	Tempus, quo facta est collectio	Dies Solutionis	Summa in M. C. fl.	Summa in M. C. kr.	Adnotationes

II. Dona extraordinaria.

Nomen Benefactoris	Dies Solutionis	Summa in W.W. fl.	Summa in W.W. kr.	Summa in M. C. fl.	Summa in M. C. kr.	Summa in Obl.pbl. fl.	Summa in Obl.pbl. kr.	Adnotationes

A XII.

Nostro apostolatus m viter per-
religionem aversari, rem indu-
latia deesse, ut labo quas con-
sumus gaudio perfus rissimi in
societatem esse instit-Stiftung"
id enim Christianae r us, quam
lutis semitam perduo, quomo-
do vero praedicabunt smodi so-
obis allatas alacri lib, dum a
. Quapropter de On Beatorum
cietatem cooptatis ve confessis,
Plenariam omnium et remis-
am post detersas sa eptamque
Leopoldi, ac semel aperiorem
Leopolde ora pro n ico aliquo
oriaque Sanctae Ma ces effun-
nque exemplis etia tarii sub-
m fidem tribuenda trae, hoc
nnulo Piscatoris die ontificatus